

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Meditationum Ad Pandectas Sacras Specimen Tertium, De Usu S. Scripturæ In  
Jurisprudentia : Quod ... Præside Rectore Academiæ, Dn. Ern. Joh. Frid. Mantzel,  
Phil. & J.U. Doct. ... Anno MDCCXXX. d. XV. April. Defendet Joh. Gottlieb.  
Kantzow, Anclam. Pomer. LL. Stud.**

Rostochi[i]: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1730]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002320364>


Druck    Freier  Zugang



RU jurist. 15. April. 1730  
Mantzel, Ern. Joh. Frid. /d







7

MEDITATIONUM  
AD  
PANDECTAS SACRAS  
SPECIMEN TERTIUM,  
DE USU  
**S. SCRIPTURÆ**  
IN  
**JURISPRU-**  
**DENTIA,**  
QUOD DEO ADJUVANTE,  
ILLUSTRI JICTORUM ORDINE CONSENTIENTE,  
H. L. Q. C.  
IN ACADEMIA VARNO-BALTHICA,  
PRÆSIDE  
RECTORE ACADEMIAE,  
**DN. ERN. JOH. FRID.**  
**Hankel,**  
PHIL. & J. U. DOCT. AC MORAL. PROF. ORDIN.  
HOSPITE & STUDIORUM SUORUM PRO.  
MOTORE COLENDISSIMO,  
ANNO MDCCXXX. d. XV. APRIL.  
DEFENDET  
**JOH. GOTTLIEB. KANTZOW,**  
Anclam. Pomer. LL. Stud.  
Rostochi, Typis Nicolai Schwiegerovii, Amplif. Senat. Typogr.

1730

VIRO  
Generosissimo, atque Excellentissimo,  
**DOMINO**  
**DE RIEBEN,**

Potentissimi Poloniarum Regis, & Saxoniæ Electoris

*Chiliarchæ maxime Strenuo,*

Hæreditario in Cosa-Broma, & reliqu.

**DOMINO, MÆCENATI AC PA-**  
**TRONO SUO**

Omni quo par est honoris cultu, ad cineres usque devene-  
rando, suspiciendo,

*Primitias presentes Academicas,*

In tesseram observantiae nunquam intermorituræ, animique  
devotissimi monumentum,

Sub voto omnigenæ Prosperitatis,

*Sacras esse cupit*

Tanti Nominis

Obstrictissimus Cultor

JOH. GOTTL. KANTZAU.

# DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> TERTIA.

## Meditatio I.

Levit. XII.

*Leges de puerperis instar universalium servare suader rationis identitas.*

**I**ntelligi hoc volumus de statu puerarum purè naturali, quem plane eundem adhuc hodie esse putamus, adē ut separationem earundem à consortio, præsertim sacro, & oblationes qualescumque admittendas atque exigendas habemus, modo illa, quæ de præcisis temporum & modorum observationibus Deus disposuit, Legibus forensibus annumeremus, nostrarum Ecclesiarum libertati multum largientes.

## Meditatio II.

*Linguæ Hebraicæ notitia Juris Cultori est utilis, non autem necessaria.*

Sunt interdum dubia vexata, præsertim in materia matrimoniali, quæ ex fonte Hebræo dirimenda veniunt; Specimina dant loci Levit. XVIII. de Comprivignis, ut putant litigantes super vocem Moledeth, & ille de conjugio cum uxoris sorore, *conf. supra Medit de conjugio Amrami cum Jochabed.* Sed nimis oneratur JCtus, si propter talem & fortè alium tenuem usum hujus linguæ, accuratam ejusdem notitiam sibi acquirere deberet. Aut enim superficiariè eandem disceret, & idem fere esset, ac nihil scire, aut ad excellentiam usque, & arcetur à magis utilibus. Veniamus igitur ad limina Theologorum, & salutemus ipsos pro impetranda exegeſi. Ut taceamus, ne quidem Archi-criticos lites illas Hebraicas, quæ nostrum ingrediuntur Jus, sine formidine oppositi definivisse hactenus. Discamus igitur ex necessitate Linguam Germanicam ad elegantiam, & Latinam ad florem usque, Græcam ad utilitatem, Hebraicam ad voluptatem.

## Meditatio III.

*Lex Levitici XVIII. est Positiva universalis.  
Ut hoc statuamus, jubent sequentes rationes: 1) Quia  
A præ-*

præsumimus hanc publicationem non esse primam : Quia 2) Deus alias non potuisset ob hujus legis violationem Gentiles punire , & quoad præterita turpitudines vocare illas cohabitationes ; Quia 3) Ratio **G**h bin der Herr est perpetua ; Quia 4) est hæc lex in novo Testamento repetita à Johanne Baptista & Paulo quoad incestuosum Corinthiacum , & quia 5) uno contextu & sub una legis clausula stant turpitudines indubitato tales cum illis delictis , quæ ratio non adeò pro prohibitis declarare valet . Indigitamus incestum in linea recta , adulterium & sodomitiam utriusque generis , quæ omnia fane turpissima , una serie prohibuit Deus cum reliquis , aditque ihr sollet euch in dieser feinem verunreinigen , denn in diesen allen ic . Novimus omnino rationes in contrarium afferri solitas , novimus etiam exceptiones adversus nostra argumenta frequentatas , sed novimus etiam , quod pares simus eis omnibus obviam eundi . Nec indigere nos putamus illa observatione , quod Christiani sint Judæi Reformati , non enim habet illa , quæ per se stringunt , ut ut satis elegans . *Vid. Differe. I.*

## Meditatio IV.

Levit. XVIII.

*In hoc capite gradus etiam sunt prohibiti , non per-  
sonæ tantum .*

Pauci equidem sunt , qui antecedentem thesin impugnant , sed innumerū , etiam cordatissimorum Doctorum sunt , qui huic contrariantur . Vellemus ne unum quidem corundem esse , quia graviter offenditur securitas conscientiarum , & fatemur si quid gloriæ in antithesi propugnandum possum , nos etiam ejusdem cupidos futuros , quia nec ingenium , nec judicium nobis deficere , præfiscini putamus : Sed juramus testamurque in conscientia , nos non posse oppositi verioris nos convincere ; Quia 1) Deus generaliter dixit : *Nemo accedat ad carnem carnis sue , & ne nimis obscura videretur hæc lex , exemplis eandem declaravit , arbitrans , tantibus his exemplis hominibus facile futurum , ut argumen-*

mento legis uterentur: Quia 2) hæc omnium legum est natura, ut admittant argumenta evidētia, adeò ut de legibus perfectissimi Legislatoris aliud præsumere minus tutum sit: Quia 3) lex ut ut correctoria sit, tamen patitur extensionem, si aliás evidens exinde sequatur absurdum; Quia 4) aliás se queretur, personas proximiores concedi, remotiores autem esse interdictas, & quæ alia sunt, quæ hanc sententiam promovent, adeò, ut *Ill. BÖHMERUS, Jctorum Germania Princps, in positionibus de gradibus prohibitis, annexis Tractui de Actionibus*, sanctè scripserit, admittendam esse extensionem, quoties PRORSUS eadem appetit ratio. Addimus argumentum à tuto, quod in causis, ubi non omnis excluditur formido oppositi, admittere tenemur, id quod *spec. diff. de tunciori sententia* mox evictum dabimus. Novimus & hic, quæ excipiuntur, sed paratos nos sistimus ad responcionem. Solent contrariæ sententiae Patroni provocare ad judicium *LUTHERI Tom. II. Jen. fol. 210. b.* ubi scribit: Gott rechnet nicht nach Gliedern, wie die Juristen thun, sondern zehlet die Persohnen; Sed videatur *Tom. V. Jen. Germ. fol. 255. seqv.* ubi post octennium mentem mutasse invenietur.

## Meditatio V.

Levit. XVIII.

*Respectus parentelæ in consanguinitate ulteriores facit prohibitiones, quam in secundo gradu lineaæ inæqualis.*

Ex defensa thesi proxima & hoc fluere statuimus, quod sicuti prohibitum est *amitam* ducere, multo magis indispensabile sit *amita magna* se jungere, & sic ulterius. Notanter autem scribimus in *consanguinitate*, nam circa affinitatem non eandem prorsus rationem invenimus, salvo tamen rectiori.

## Meditatio VI.

Levit. XVIII, ii.

*Matrimonium comprivignorum haud est prohibitum.*

Vexatissima hæc est quæstio, quam etiam in hac Academia,

demia, Promacho B. Sam. BOHLIO, *Theologo satis egregio*, olim valdè agitatam esse constat. Vertitur cardo rei in voce *Moledesh*, quam bifariam explicare solent; Sed quo minus de comprivignis capiatur, gravissimè obstat evidens facti species, modo placuerit invertere casum & quererere, an quis filii sui sacerum ducere possit; vel an liceat filii sui privignam uxorem accipere, id quod omni dubio carere putamus, non obstante officiorum confusione, ut ut enim fortè contra decorum sit, quod pater filium suum sacerum appellandum habeat, tamen illud argumentum à Decoro abesse jubemus, quoties de turpitudine est quæstio. Imò illi argumento de officiorum confusione sibi tantum relicto nihil tribuimus ponderis, adeò, ut exceptio quoad fratrem communem circa comprivignos nihil novi inferat. Prohiberi itaque in textu memorato statuimus conjugium privigni cum novercæ filia, quam post matrimonium cum patre privigni initum, ex alio viro peperit. e. g. A. suscepito ex B. conjugie filio C. viduus factus, dicit D. & nullam ex ea problem fulcipient; Illa D. nubit E. eoque Genitore mater fit filiæ F. Jam quereritur: An ille filius C. possit hanc ducere F. & respondemus, quod non, ob hujus textus prohibitionem.

## Meditatio VII.

Levit. XVIII, 16.

*Conjugium cum fratri vidua est indispensabile.*

Remittimus Lectorem ad Meditationes Leyserianus, ut quia ibi responsum contrarium legitur, ipse videat, an oppositæ sententiæ subscribi queat; Habemus enim, cur distinctè super hoc caput cum nostro LEYSERO, quod pace illius scriptum sit, litigare displiceat.

## Meditatio VIII.

Levit. XVIII, 18.

*Uxor defunctæ sororem ducere in praxi non licet.*

Circa hanc controversiam vellemus nescire literas, interca propter argumentum a tuto lubenter subscribimus receptæ

ceptæ explicationi & praxi, remittimusque Nos & alios ad illustria responsa, quorum exasciatum specimen obvium est in Diss. III. KLEINII de mitigatione pœnarum favore matrimoni contracti Rostoch. 1697. Nemini etiam clausa esse volumus scripta eristica inter *JCum Rintheensem BUCHHOLZIUM & Theologum Bremensem HAVEMANNUM*, & quis non vidit scriptum Theologi GOETZII s. t. Ehre der Ehe mit der Frauen Schwester.

## Meditatio IX.

Levit. XIX. 9. & XXIII. 12. Devter. XIV. 19.

*Fructus etiam ad ultimum calatum usque colligere licet.*

Disponit Deus T. O. M. in dictis allegatis, ne fructus adeo sollicite colligantur, quo pauperibus fratribus spicilegia lautiora manerent. Juvat hoc punctum nostram sententiam superiorem de fraterna communione bonorum. Quod autem nonnulli nostrorum nimis conscientiosorum hanc dispositionem pro universali venditare laborent, inde damnantes spicilegii instrumentum vulgo dictum die Hunger-Hartje, id pati non possumus, & vellemus, ne adeo confunderetur Palæstina & Megapolis, utut enim favor pauperum & obligatio illis succurendi sit perpetua, tamen hic modus in terminis non est imitabilis, alias enim omnem reliquam dispositionem de anno illo interdum redeunte ad agriculturam plane inutili imitari etiam deberemus, & non putamus nostros Magistratus negligere providentiam erga pauperes. Trahatur igitur illud instrumentum per nostros agros in nomine Domini.

## Meditatio X.

Levit. XX.

*Repetitio legis connubialis, utut in terminis facta, non arguit, personas tantum esse prohibitas.*

Valde displicuit Nobis hoc quicquid est argumenti, ea enim fuit sapientia divina, ut adeo arduam legem populo

suo duræ cervicis bis in terminis promulgatam dare voluerit. Habemus Nos leges quotannis semel vel bis repeti solitas; Quis autem illis interpretationem extensivam vellet denegare.

## Meditatio XI.

Levit. XX. 7

*Stupratam ducens uxorem ad sacrum ministerium  
frustrà aspirat.*

Ventilatam hanc quæstionem frequenter observavimus, & sunt Nobis ad manus nuperrima FCtatum Theologicarum Responſa negantia. Habemus etiam Theologos, qui distinguunt inter vitiatam à Domino Candidato ipso & ab alio, id quod per Nos liceat, modo illud admitti possit sine gravi scandalo. In genere autem ea, quæ de vita & honestate Sacerdotum disponunt Leges Mosaicæ, non equidem absolutam postulant applicationem, præbent tamen illustrem ideam & imitationis exemplar quoad nostros Ecclesiarum Presbyteros. Quorsum etiam referri volumus commata de Clericorum vitiis corporis.

## Meditatio XII.

Levit. XX. 10.

*Multum nos offendit, quod pœna adulterii inter  
Christianos, & præsertim Germanos  
adèo sit diversa.*

Quod sit diversa, testantur jurium collationes, alibi enim pœna capit is, alibi valdè arbitraria statuitur pœna; Quod equidem non sit delictum Jure Divino taxatum, haud difficulter largiemur; Quod autem sit turpe factum, centies in S. Scriptura graviter notatum, neminem fugit, quia igitur tanta pœnarum differentia, multis sinistris consequentiis aperit portam; solemus ad nostra hæc referre desideria, quod non aliquad antenus ad æqualitatem reducantur pœnæ, adèo, ut vel ubique salvo divortio arbitraria, vel etiam ordinata.

dinaria determinetur animadversio. Verum quoties de Legibus judicamus, toties Nos paucis expedire solemus.

## Meditatio XIII.

Levit. XX, 11. 12.

*Incestus in linea recta, tam in affinitate quam in consanguinitate, videtur esse delictum  
Jure Divino taxatum.*

Novimus praxin huic Meditationi esse conformem, unde eo magis assensum illa inveniet, utut circa affinitatem super incestum cum noverca aliter interdum pronunciatum esse inviti observaverimus. Quoad lineam collateralem rigorem non esse tantum, ne quidem in primo gradu, receptæ praxi concedimus quia Jus Naturæ, ceu supra docuimus, non est contrarium. Sed dabimus uberiora circa incestuum Corinthiacum à Paulo excommunicatum.

## Meditatio XIV.

Levit. XXIV. 10. sequ.

*Pœna blasphemie ad ultimum supplicium  
usque extendi potest.*

Habet secundum præceptum clausulam expresse comminatoriam, & credimus, perjurii poenam omnino inde esse eliciendam, hinc & nostris Magistratibus quoad hoc præceptum gladius à Deo est tributus, & videmus ex legibus positivis, quomodo hunc gladium vibrantem blasphemis monstrent Principes vigore titulorum & articulorum in der Polizey-Ordnung des heil Reichs it. in der peinlichen Hals-Gerichts-Ordnung Prouti & in Ordinationibus Politicis Mecklenburgica & Rostochiensi hoc genus delictorum graviter notatur atque taxatur. Utut autem & in minimis Deum blasphemasse capitali suppicio satis dignum sit, tamen & hic gradus impietatis, Deo propitio, statuimus, & præjudicata habemus obvia de pœnis arbitrariis in blasphemos statutis pro modo admissi, mox eam lingua, mox digitos abscin-

abscindimus, vel à pedibus suspendimus, vel carcere vel mulcta animadvertisimus, salva interea justitia poenæ capitis pro ratione atrocitatis delicti, imò criminis lœsa Majestatis tale factum æquiparamus. Exulare hac occasione jubemus illos, qui hujus & præsertim perjurii poenam foro poli tantum relinquunt; Deus enim Magistratui vices suas demandavit, testantibus tot Scripturæ assertis. Pariter Hobbesio dicam scribimus, qui atheos puniri non posse ut rebelles adversus Deum, quia ipsos Dei imperium non agnoscisse, & inde rebelles fieri non posse, luxurianti ingenio, ast sine iudicio, ratiocinatur.

## Meditatio XV.

Levit. XXV. 23.

*Sine spe retrovenditionis emere vendere licet.*

Est & hæc lex Divina specimen voluntatis divinæ de communione bonorum fraterna, nolebat enim Deus aliquem suum patrimonium, in divisione majestatica assignatum, sine spe recuperationis alienare & amittere posse. Quod igitur hæc à foro nostro sint aliena, res ipsa loquitur.

## Meditatio XVI.

Num. V. 10.

*Accidentalia Ministrorum Ecclesiæ (Accidentien)  
ipsis haud sunt invidenda.*

Ab omni ævo receptum fuit, ut sacrum Ministerium exercitibus variæ partes salariorum sint tributæ, quæ vel sunt fixæ, vel accidentales; De accidentalibus litem movere non nulli invidiose solent, sed sicuti suprà honorarium pro hierologia & nummum cœfessionarium ab iniquitatis nota vindicavimus, sic idem onus facile suscipimus quoad quævis accidentalia: Aequum enim esse judicamus, quod vel intensibilis sit modus augendi subsidia vitæ Ecclesiæ Ministrorum, quod liberalitas & beneficentia Parochianorum sese tali ratione exserat. Quod autem quædam accidentalia non amplius à sola

à sola liberalitate dependeant, sed ex jure perfecto exiguntur. id ex multis rationibus defendendum, adeò ut Pastores nihil præter consuetudinem allegare debeant, id quod ex multis Responsis & Judicatis constat. Vid. B. WILDVOGELII *Confilia & Diff. de Concionibus Funebris.* it. vom Ringbeutel. Imò instar omnium Ill. BÖHMERI *Jus Parochiale.* Et quamvis de honorario pro baptismo Canones Conciliorum disponant, quod possit accipi non exigi, vid. SCHILT. *Inst. Jar. Can. Lib. 2. T. 2.* §. 29. tamen nostris moribus datur exactio, & tantum de numero confessionali verum manet: *Honeste accipitur, in honesto petitur.* Suppedavit hanc Meditationem Caput allegatum, quo ad justificandas sportulas Clericorum uti solemus. Conf. omnino Caput Num. XVIII.

## Meditatio XVII.

Num. V, II. seqv.

*Species Judiciorum Dei fuit proba aquæ amare circa suspectam de adulterio.*

B. Joh. Christoph. BECMANN, Philosoph. & Theol. Francofurt. speciali Dissertatione de Judiciis Dei Anno 1696. enumeravit varia Judiciorum Dei genera, & Cap. II. de judicio aquæ amaræ ad instantiam matiti zelotypi differuit, atque ex Judæorum genio & antiquitatibus hunc modum procedendi eleganter illustravit. Nobis hæc divina inquisitio novum præbet argumentum de non imitanda praxi forensi Republicæ Judaicæ, quippe cui Deus specialiorem promisit concursum, qualem in nostris Rebuspublicis nunquam nobis pollicitus est. Habuit equidem antiquior Germania varia Judicia Dei per aquam, per ignem, per duella & alia, sed passus fuit procul dubio haud raro justus, & gratulamur nostræ praxi, quod talis superstitionis sit expers, quodque nec in homicidio à cruentatione cadaveris, nec in beneficio à proba aquæ frigidæ capiatur argumentum; Nec possumus satis meditari circa exempla in historia, medii etiam ævi, obvia de probatōne præsertim per ferrum candens, aut enim fraus fuit facta

B

Judi-

Judicibus, aut Deus semper edidit miracula, aut quia neutrum credere fas est, tertium erit statuendum, quod scilicet ex foliis affectibus judicare tantum voluerint, illius saltem constantiam exploraturi, qui vel quæ candens ferrum tangentem habebant; Novimus enim ejusmodi fraudem piam adhuc nuper inter plebeculam esse adhibitam & quidem felici successu, utut valde culpabili modo, prodidit enim persona maleficii rea speculum deosculatura ipso affectu semetiplam. Nostri igitur Majores, qui certè fungi non fuerunt, loco torturæ adhibuerunt externa quædam simulacra, quibus conscientiam suspectorum vellicarunt. Nobis interea satis est, quod non sint facienda mala, ut inde eveniant bona, ut taceamus minus tuta ad plenam condemnationem vel absolutionem, ex trepidatione vel aliis affectibus, colligi indicia. Quæ cæterum observantur ab aliis hanc torturam fuisse uxoribus non maritis suspectis applicatam, ea suo loco in consequentiis relinquimus.

## Meditatio XIX.

Num. XV, 32. seqv.

*Specimen legis duræ babetur circa pœnam violatoris  
Sabbathi.*

Inter alias inanes quæstiones obvia etiam est illa: An Magistratus etiam sit custos tabulæ Decalogi primæ? Procul enim dubio & idolatriæ & blasphemiarum & violationis Sabbathi Judices sunt nostri Principes, id quod satis comprobant novissimæ leges Germanicæ & speciatim Mecklenburgicæ, von Sabbath's Schändern und Entheiligung des Sabbaths. Quod autem capitali illos violatores non afficiamus supplicio, majori Christianæ Reip. libertati erit adscribendum, & evolvantur casuum conscientiæ collectores, qui tempore præfertim messis laborem Sabbathinum admittunt, atque eo ipso l. 3. C. de feriis justificant, utut alios legerimus, qui itinera Sabbathi speciatim improbarunt, & Carpzovii Theologi Lipsiensis memores simus, qui ne quidem die dominica concionibus

bus elaborandis vacare voluit. Est igitur exemplum loci al-  
legati merè forense. Sunt inter Theologos, qui scribunt, De-  
um prima vice omnia peccata severius punivisse, atque hinc  
non sequi, poenam hanc mansisse semper eandem. Quod  
suo loco assignamus.

## Meditatio XIX.

Num. XX, 14. seqv. coll. Deut. II.

*Transitum innocentem concedere est juris gentium, &  
justa belli causa est, si ille denegetur.*

Evolvantur Juris Gentium Interpretes & præsertim  
*GROTIUS de J. B. & P. Lib. 1. Cap. 2.* & conferatur omnino tex-  
tus allegatus, ex quo descriptio transitus innocentis elegan-  
ter apparet his præsertim verbis: *Wir wollen nicht durch A-  
lder noch Weinberge gehen: Wir wollen auff der gebahnten  
Strasse ziehen, und so wir deines Wassers trincken, so wollen wir's  
bezahlen &c.* Obvia igitur sunt in historia civili varia exem-  
pla belli indicti ob denegatum illum transitum innocentem,  
& quod justum sit tale bellum, res ipsa eloquitur, qui enim  
in bello non sunt pro nobis, sunt contra nos.

## Meditatio XX.

Num. XXV, 1. 9. Coll. I. Corinth. X, 8.

*Meretrix est, quæ pluribus corporis copiam tribuit.*

Habet omnino insignem usum practicum distinguere in-  
ter *stuprum passam & meretricem*, tam quoad poenam, quam  
quoad satisfactionem stupratæ, ut & præsertim circa quæsti-  
onem de justa exheredandi causa, quam nimirum non puta-  
mus esse, si filia stuprum tantum passa, adeò ut distinguere  
otiosum sit inter eam, quæ infra & supra 25. annos est, salvis  
legibus specialibus, qualis etiam est Ordinatio Politica Me-  
cklenburgica vid. *TORNOW. Jus Feud. Meckl. P. I. p. 212.* quam-  
vis hæc dispositio forte ex malè intellecto textu Romano or-  
ta fuerit, sicuti & cum aliis quibusdam commatibus non ad-  
eò strictè observatur. Meretrix igitur est, quæ corpore suo  
B 2

quæ-

quæstum facit, & quæ Jure Romano, quod lupanaria admittet, vitam meretriciam, conniventibus legibus, vivebat. Et juxta hunc conceptum excusandus venit JCtus scribens: Meretricem male agere, dum sit meretrix, sed non malè agere, quando post electam hanc vitam, meretriciam vivit vitam. Sic etiam juxta hoc principium sunt aliæ leges v. g. de ancilla cauponæ l. 25. & l. 29. C. de Adult. & ille textus, quod meretrix sit instar diversorii, quod hospites etiam invito hospite ingrediuntur, ut & illa distinctio stupri violenti cum foemina honesta tantum committendi. Sed hæc aliquando coniunctim erunt exponenda. Hoc loco tantum taxare luit infrunitam illam Juris Pontificii Glossatoris observationem, quod meretrix omni numero perfecta tantum sit, quæ masculorum viginti tria vel quatuor ad misit millia. Dubitamus an ebrietate an joco fuerit ductus, qui talia in vulgus trudere haud erubuit.

## Meditatio XXI.

Num. XXVII.

*Successio fœminarum in feuda & fideicommissa  
familiarum subsidiaria suo radiat jure.*

Placet hanc Meditationem ad perfectionem hujus capitatis subnatam non præterire, quamquam specialissimam inter populum Judaicum habuit rationem, quod filiabus Zelaphhehad fuerit gratia exhibita, id quod illustrandum venit à lege, qua jubetur, ut frater fratri sobolem excitet. Receppta passim in regnis & feudis fœminarum successio subsidiaria suo etiam nititur fundamento, ut omnia circa illam sint Juris Publici, adeò ut interdum cognatica linea nihil habeat juris, & quamvis in feudis, quæ sanguini tributa sunt, foeminae, quæ sanguinem non propagant, personalissimum & taxativum sive restrictivum jus habeant. Versamur in regula, & in exceptione ob oculos habemus Virgines Nobiles Mecklenburgicas, die Mecklenburgischen Erb-Jungfern ceu nostro stilo appellantur. Vid. B. MULLERI Diff. spec. & B. TORNOV. de Fend. Meckleb. Me-

## Meditatio XXII.

Num. XXX. Coll. Devt. XXIII. 23.

*Votum obligat in foro poli, non in foro soli.*

Sic in regula docemus & de voto & de pollicitatione salvis exceptionibus quoad pollicitationem; Quæ enim impleri cœpta, vel pro redimenda vexa promissa, ea servanda esse, vis pacti & acceptationis inculcat. Quia igitur in voto, quod etiam sola mente fieri potest, nemo est qui acceptet, & licet quis acceptaverit, tamen Deus non vult, ut bona opera executione extorqueantur; Hinc non datur exactio, sicuti enim in genere in conscientias & ad ea, quæ pietatis sunt, obtinenda, non datur imperium, sic neque ad servandum votum aliquis actione compelletur. *Vid. t. t. ff. de Pollicitat.* Imo ipsum Jus Papale, utut alias valde tenax & inhians sit sacris nummis, tamen non aliter quam sub conscientiarum vellicatione vota servari jubet. *Vid. Can. 9. XII. qu. i. verbis:* *Quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem sed premium acquirat, quoniam satius est non vovere, quam votum prout melius potest, non perficere.* Grauius enim peccant, qui votum non perficiunt -- quam illi, qui sine voto vitam finierunt. Concordat ex ase hoc judicium cum Salomonæo. Qui vota facere vult, habeat liberam rerum suarum administrationem, & quæ circa vota uxorum, filiorum familias & servorum juris esse possunt, sanctissime & pragmatice disposita sunt in hoc allegato Numerorum Capite, ad quod nostri DD. etiam provocant. *Vid. B. SCHOEPPF. ad dict. tit.*

## Meditatio XXIII.

Num. XXXV. coll. Devt. IV. & XIX.

*Asyla in nostris Rebusp. non sunt necessaria, & inter Pontificios arguunt vitium status.*

Commissio inter nos facinore per generalem venimus ad specialem inquisitionem, & neminem sine sufficienti indicione quidem ad carcerem rapimus, multo minus ad supplicium.

cium. Hinc nullis indigemus asylis , sed salvos conductus potius concedimus iis, de quorum factorum proæresi vel qualitate nondum satis constat. Graviter itaque hallucinatur præxis fori Pontificiorum , qui quodvis templum vel quemvis locum sacrum seu receptaculum etiam latronum aperiunt. Valde enim impeditur sanctæ justitiae administratio , & bene contra inter nos Protestantes quæ non expedient, sunt abrogata. Cur Deus autem talia asyla distinxerit, ipse textus docet vindicis sanguinis modum procedendi satis inculcans, insimulq; sanctè distinguens homicidium culposum à doloso.

## Meditatio. XXIV.

Num. XXXV. 30. seqv.

*Homicidium est delictum atrocissimum & non  
aggratiabile.*

Habuimus quidem superius passim hanc observationem ferè in terminis, sed hic textus omnium est luculentissimus, & explicans alia loca, obscuriora fortè visa aliter sentientibus. Gravissima sunt verba: Ihr sollt keine Versöhnung nehmen über die Seele des Todeschädigers, denn er ist des Todes schuldig, und soll des Todes sterben. Conf. omnino Deuter XXI. ubi modus procedendi insinuatur circa homicidam ignotum, ne oneretur provincia sanguine clamante, ceu ut vulgo loquimur, daß das Land nicht mit Blut-Schulden beladen werde. Tremunt sane artus circa hanc divinam dispositionem jubentem, ne gladius à Deo datus male geratur.

## Meditatio XXV.

Deut. XIII.

*Hereticos in Rep. tolerare, non oportet, sed licet.*

Nostro seculo de jure Principis circa Hæreticos acriter fuit disputatum, testantur illud *Dissertationes THOMASII, COCCEJI & GERDESII* in compendio, salvis aliis scriptoribus; Observamus autem alios in excessu, alios in defectu graviter peccare, & præsertim valde se prostituit nuper *JCTUS Heidel-*

*Heidelbergensis Huht*, qui contra omnem imperii nostri legum tenorem foetidam recoxit cramben Juris Pontificii de Hæreticis; Pacificationis Westphalicæ robur, per toties derisam Papalem Protestationem, intringere turpiter tentans. Maneamus quæso in tramite medio, & statuamus sanctiones imperii pragmaticas circa receptas religiones adeo sanctè esse servandas, ut etiam elenchi specialis abusus sit contra illas leges, ceu eleganter exposuit *FCIUS Erfordiensis REINHARDUS*, & illos, quos leges imperii admittere non jubent in exercitio religionis quieto, & qui etiam individualiter singulares opiniones excolunt, per viam persuasionis in colloquiis amicis in nostras vias reducamus, vel si ipsi se convinci non patientur, abire illos jubeamus; Sicuti enim in nullius conscientiam nobis competit imperium, sic etiam nullus ægrè feret, si eundem aliorum cum sua religione discedere jubeamus, salva ejus fama salvaque ejusdem emigrantis sarcina. Solet allegatum caput circa hanc causam ad durius quid in Hæreticos statuendum adduci, sed inspiciatur genuinum pseudoprophetiae corpus delicti & specialis Reip. Judaicæ ratio status, quo major enim erat Dei ad hunc populum approximatio, eo pronior fuit ille ad patiendum se seduci. *Conf. PRÆSIDIS Differt. prior de Suverenitate privatorum.*

## Meditatio XXVI.

Devt. XV. 4.

*Promiscue mendicationes merito abrogantur.*

Illustris est prudentia Magistratum, qui arcent à foribus promiscuos mendicantes, ne occasione & prætextu inopie vagentur fures & saccularii, & quodvis genus hominum otiosorum. Saluberrima sunt instituta, quod quævis Resp. adornet collectiones eleemosynarum autoritate publica bene merentibus distribuenda. Et non est dubium, quin Magistratus civibus possit imponere necessitatem certi alicujus distributive præstandi & exigendi, quo à pessimis homibus nemo molestetur & infestetur, quibus enim paradoxon vide.

videtur, quod ad bona opera cogere velimus cives nostros, illi introspiciant publicam utilitatem, quæ hoc omnino jubet. Conf. Dn. LEYSER. *Medit. spec.* Deus ipse in populo suo noluit errores & vagabundos mendicos dari, hinc tot persuasionibus inculcavit amorem proximi & fratribus egeni. Confirmat præterea hoc divinum editum nostras cogitationes de fraterna communione bonorum. Conf. Cap. XV. Tribus denique: Reip. interest, ne scateat mendicis, hinc ipsæ nostræ Leges prospiciunt depauperatis & bonis lapsis, ne ex pauperibus fiant mendici. Conf. *Medit. de instrumentis opificum.*

## Meditatio XXVII.

Deut. XVII. 6, coll. XIX. 15. & aliis parall.

*Materia de Testibus spectat ad mere civilia.*

Receptum est apud omnes populos, quod testium omni exceptione majorum fides vim probandi in civilibus & criminalibus habeat, quando nimurum legitimè sunt exhibiti. Et quod duo testes sufficiant, Lex Divina, & ad ideam illius *Lex 2. ff. de Testib.* determinat. Prouti autem tota doctrina de Testibus vel admittendis vel rejiciendis non regulis adeò exhausti potest, sed in facto, arbitrio Judiciis committi debet, ceu eleganter docuit *Celeb. LETSER Spec. Medit.* Sic certissimum tamen est, quod possibiliter hæc omnia fallant, quoties enim vir impius & perjurii pœnam non metuens, cæterum autem in Rep. externe bonus habitus, vellet esse nequam, toties daretur decisio civiliter justa, sed sine iustitia naturali. Nolumus igitur dicere, duos testes sufficere, esse Juris Divini, sed volumus, ut dicatur, duos testes Deus ipse, cæteris paribus, sufficere admisit, quo haheantur acta & probata, & ne in infinitum dubitetur. Dicimus interea, probationem illam per duos testes etiam sole meridiano clariorem, sed civiliter hoc tantum verum, mathematica enim nondum est demonstratio, qualis est, sole splendente circa meridiem, diem esse, non noctem.

*Prænibili atque Studiosissimo*  
**DOMINO KANTZOW,**  
Amico, Auditori & Domestico humanissimo & singula-  
riter dilecto, felicia appreccatur

### PRÆSES.

**D**imiseram te CLARISSME DOMINE RESPONDENS,  
post exantlatos aliquot annos Academicos, post absolutas  
meas & aliorum scholas; Et ecce iterum mihi & quidem  
proximus quam autem incidis in manus, imo incidis in animum,  
quem per morum modestiam & in studiis ardorem totum tibi de-  
vinxisti. Habui Te per aliquot menses Domesticum atque Con-  
falinum, & latus observavi, Te repetitioni Collegiorum & inter  
meos Auditores & inter tuos parietes sedulo insudare. Hodie  
cathedram ornare placet publicam, & iterum abiturus, monu-  
mentum publicum erigere cupis, quod Tibi medium erit inter a-  
lia ad finem, quo sedulus tendis, quem feliciter ut assequaris  
gratulabundus appreccor. Te Divinæ gratiæ, me Tuæ recorda-  
tioni perpetuæ committens. Vale. Dab. d. 10. April. 1730.

*Nobilissimo & Doctissimo Domino Respondenti*

**DOMINO KANTZOVIO,**  
Juris Prudentiæ & que Theoreticæ ac Præticæ incomparabili Studiose

*Applaudere voluit*

A. VOGEL, Advoc.

**C**um sub Præsidio Viri Excellentissimi atque Consultissimi Do-  
mini E. J. F. Mantzelii J. U. Doctoris celeberrimi, Moralium  
Professoris P. O. & per totum orbem Literatorum famigeratissimi,  
hodie Academiæ Rectoris Magnifici palæstram ascendis Academi-  
cam ad habendam dissertationem Biblico - Juridicam, & ad usum  
Forensim Pandectarum Sacrarum enucleandum, hisce tibi gratu-  
lor, quod meditationes Deo acceptissimas & cum justitia divina &  
humana ex asse conspirantes publice ventilandas suscepseris. Faxit  
itaque Deus ut, & aliquando Sacerdos Justitiæ & que Divinæ ac Hu-  
manæ evadere, & Rempublicam vel patriam vel extraneam ad  
tenorem & amissim Pandectarum Divinarum & Humanarum gu-  
bernare & sublevare possis; Quod ex meditullio Cordis & animi-  
tus appreccor. Datum Rostochii d. 12. Aprilis Anno 1730.

W. E.

**S**Er die Crone wil erlangen/  
Und als Held und Sieger prangen:  
Pflanze vor durch steten Fleiß/  
Selbst darzu den Lorbeer-Reiß/  
Ihm wird auff Minervæ Worte  
Auch die Castallinen Pforte/  
Zu der Ehre offen stehn  
Dieses wird gar gerne sehn

Sein Freund

E. B. FRESE, LL. Stud.

**S**Er so/ Geehrter Freund, auff die Catheder steiget/  
Wer so gelehrt darauff/ wie Du/ sich gleichfals zeiget/  
Der macht öffentlich der ganzen Welt bekannt,  
Dass er die edle Zeit recht loblich angewandt.  
Ich sehe schon voraus/ wie Dich dein Fleiß erhöhet/  
Dein allzeit muntrer Fleiß/der niemahls schlaffen gehet:  
Ich sehe schon mit Lust Dein blühend Wohlergeh  
Zugleich mit güldner Frucht vor meinen Augen stehn.

Zu Bezeugung seiner Ergebenheit gegen den Herrn  
Respondenten schrieb dieses

H. A. DARJES, Parchimens.

J. U. Stud. Opponens.

**S**ehr haffte Wissenschaft/und nicht vermeynter Wiz/  
Verdienet nur allein den rechten Ehren-Siz;  
Disz wil Herr Kanzau uns auff der Catheder zeigen  
So er mit grossen Ruhm und Ehre wird besteigen.

Mit diesen wohlgemeynten Zeilen wolte seinen vielge-  
liebten Freund zur Catheder begleiten


N. B. VICK, Glückst. Hols. Opp.











Prenobili atque Studiosissimo  
**OMINO KANTZOW,**  
uditori & Domestico humanissimo & singula-  
riter dilecto, felicia appreccatur

**PRÆSES.**

in te CLARISSME DOMINE RESPONDENS,  
tantlatos aliquot annos Academicos, post absolutas  
et aliorum scholas; Et ecce iterum mihi & quidem  
cum autem incidis in manus, imo incidis in animum,  
rum modestiam & in studiis ardorem totum tibi de-  
bui Te per aliquot menses Domesticum atque Con-  
tus observavi, Te repetitioni Collegiorum & inter-  
es & inter tuos parietes sedulo insudare. Hodie  
nare placet publicam, & iterum abiturus, monu-  
cum erigere cupis, quod Tibi medium erit inter a-  
quo sedulus tendis, quem feliciter ut assequaris  
appreccor. Te Divinæ gratiæ, me Tuæ recorda-  
committens. Vale. Dab. d. 10. April. 1730.

\* \* \* \* \* bilissimo & Doctissimo Domino Respondenti

**MINO KANTZOVIO,**  
æque Theoreticæ ac Practicæ incomparabili Studiose

*Applaudere voluit*

**A. VOGEL, Advoc.**

ræsidio Viri Excellentissimi atque Consultissimi Do-  
F. Mantzelii J. U. Doctoris celeberrimi, Moralium  
& per totum orbem Literatorum famigeratissimi,  
& Rectoris Magnifici palæstram ascendis Academi-  
am dissertationem Biblico - Juridicam, & ad usum  
lectarum Sacrarum enucleandum, hisce tibi gratu-  
ationes Deo acceptissimas & cum justitia divina &  
conspirantes publice ventilandas suscepseris. Faxit  
& aliquando Sacerdos Justitiæ æque Divinæ ac Hu-  
& Rempublicam vel patriam vel extraneam ad  
assim Pandectarum Divinarum & Humanarum gu-  
evare possis; Quod ex meditullio Cordis & animi-  
Datum Rostochii d. 12. Aprilis Anno 1730.

Wber